intulimus in hunc mundum haud dubium quod
nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta et quibus
tegamur his contenti sumus. Nam qui volunt
divites fieri incidunt in temptationem et in
laqueum diaboli et desideria multa et inutilia et
nociva quae mergunt homines in interitum et perdi-
tionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas quam qui-
dam appetentes erraverunt a fide et inseruerunt
se doloribus multis. Tu autem o homo dei haec fuge.
Sectare vero iustitiam pietatem fidem caritatem
patientiam mansuetudinem. Certa bonum certamen
fidei, apprehende vitam aeternam in qua vocatus es et
confessus es bonam confessionem coram multis
testibus. Praecipio tibi coram deo qui vivificat omnia
et christo ihesu qui testimonium reddidit sub pontio
pilato bonam confessionem ut serves manda-
tum sine macula irreprehensibile usque in adven-
tum domini nostri ihesu christi quem suis temporibus ostendet
beatus et solus potens rex regum et dominus domi-
nantium qui solus habet immortalitatem et lucem
habitat inaccessibilem quem vidit nullus hominum
sed nec videre potest cui honor et gloria et imperium in sempi-
ternum amen. Divitibus huius saeculi praecipe non sublime sa-
pere neque sperare in incerto divitiarum sed in deo
vivo qui praestat nobis habunde omnia ad fru-
endum. Bene agere divites fieri in operibus bonis faci-
le tribuere communicare thesaurizare sibi
fundamentum bonum in futurum ut apprehen-
dant veram vitam. O timothee depositum
custodi devitans profanas vocum novitates et op-
positiones falsi nominis scientiae quam quidam promittentes
circa fidem exciderunt. Gratia dei tecum amen.

Item timotheo scribit de exhortatione martyrii
et omnis regulae veritatis et quid futurum sit temporibus no-
vissimis et de sua passione scribens ei ab urbe
roma.

Paulus apostolus christi ihesu per voluntatem
dei secundum promissionem vitae quae est in
christo ihesu timotheo karissimo filio
gratia misericordia pax a deo patre et christo ihesu
domino nostro. Gratias ago deo
meo cui servio a progenitoribus meis in conscientia
pura quod sine intermissione habeam tui memoriam
in orationibus meis nocte ac die desiderans te vide-
re memor lacrimarum tuarum ut gaudio implear
recordationem accipiens eius fidei quae est in te non
ficta quae habitavit primum in avia tua lo-
ide et matre tua eunice. Certus sum autem quod et in te.
Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam dei
quae est in te per impositionem manuum mearum. Non enim
dedit nobis deus spiritum timoris sed virtutis et dilectio-
nis et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimo-
nium domini nostri neque me vinctum eius sed collabora
evangelio secundum virtutem dei qui nos liberavit et voca-
vit vocatione sua sancta non secundum opera nostra sed secundum propo-
situm suum et gratiam quae data est nobis in christo ihesu
ante tempora saecularia. Manifestata autem nunc per illu-
minationem salvatoris nostri ihesu christi qui destruxit qui-
dem mortem illuminavit autem vitam et incor-
ruptionem per evangelium in quo positus sum ego
praedicator et apostolus et magister gentium. Ob quam causam et
haec patior sed non confundor. Scio enim cui credidi et certus
sum quia potens est depositum meum servare in
illum diem. Formam habe sanorum verborum quae a
me audisti in fide et dilectione in christo ihesu. Bonum
depositum custodi per spiritum sanctum qui habitat in nobis.

Scis hoc quod aversi sunt a me II
omnes qui in asia sunt ex quibus est phile-
tus et hermogenes. Det misericordiam dominus onesifori
domui quia saepe me refrigeravit et catenam
meam non erubuit sed cum romam venisset sol-
licite me quaesivit et invenit. Det illi dominus in-
venire misericordiam a domino in illa die et quanta ephesi
ministravit tu melius nosti. Tu ergo fili mi con-
fortare in gratia quae est in christo ihesu et quae audisti
a me per multos testes haec commenda fidelibus hominibus qui
idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus mi-
les christi ihesu. Nemo militans deo implicat se se-
cularibus negotiis ut ei placeat cui se probavit.
Nam et qui certat in agone non coronatur nisi
qui legitime certaverit. Laborantem agricolam
oportet primum de fructibus percipere. Intellige quae dico
dabit enim tibi dominus in omnibus intellectum. Memor
esto ihesum christum resurrexisse a mortuis ex semine
david secundum evangelium meum in quo laboro usque ad
vincula quasi male operans sed verbum dei non est alli-
gatum. Ideo omnia sustineo propter electos ut et ipsi
salutem consequantur quae est in christo ihesu cum gloria
caelesti. Fidelis sermo nam si commortui sumus
et convivemus si sustinebimus et conregnabimus. Si ne-
gaverimus et ille negabit nos si non credimus ille
fidelis permanet se ipsum negare non potest. Haec commone
testificans coram deo. Noli verbis contendere
ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audien-
tium. Sollicite cura te ipsum probabilem exhi-
bere deo operarium inconfusibilem recte tracta-
tem verbum veritatis. Profana autem et vaniloquia
devita. Multum enim proficient ad impietatem
et sermo eorum ut cancer serpit ex quibus est hyme-
neus et philetus qui a veritate exciderunt dicen-
tes resurrectionem iam factam et subvertunt quorundam fidem.
Sed firmum fundamentum dei stat habens signaculum hoc
cognovit dominus qui sunt eius et discedat ab iniquitate
omnis qui nominat nomen domini. In magna autem domo
non solum sunt vasa aurea et argentea sed et fic-
tilia et lignea. Et quaedam quidem in honorem